

21

B. C. D.

DISSERTATIO GRADUALIS,

De

ORIGINE ANIMÆ RATIONALIS,

QUAM

*Annuente Amplissimo ad Auram Philosopho-
rum Ordine,*

PRÆSIDE

Max. Reverendo atque amplissimo VIRO,

DN. MAG. CAROLO
MESTERTON,

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.

Publice bonorum disquisitione sicut

FRIDERICUS JOHANNES
ZWEIGBERG,


SATACUNDENSIS.

Die 17. Julii, Ann. MDCCLI.

H. p. m. f.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn.
Duc. Finland, JACOB MERCKELL.

Sc. Chytraus



I. N. 7.

§. I.

UTrum a DEo corpori humano infundatur anima rationalis per creationem, an vero a parentibus una cum corpore in liberos propagetur per generationem, controversia in scholis hactenus fuit ardua, visaque Augustino tanta, ut scripsedit, non est periculum, si origo animæ lateat, dummodo redentio clareat. Cum in controversiis multis Theologicis aliisque casibus multum expediat de ortu animæ rationalis firmam aliquam tenere sententiam, non præter rem erit in hoc paucis inquirere negotium.

§. II.

Animas humanas per generationem oriri, & a parentibus in filios propagari ac traduci qui existimant, putant istam propagationem fieri vel per multiplicationem aut divisionem substantie ipsius animæ, vel productionem animæ ex aliquo semine: nam qui animam traduci quidem statuunt, modum non tamen explicant, nec explicari posse contendunt, non ii indagatori accurato satis faciunt. Si dicant, animam filii traductam esse ab Parentis anima per ejus divisionem & diminutionem quasi, animam jam Divisibilem facient, & consequenter materialem. An cum his animæ immortalitas, quam

non modo sacræ paginæ inculcant, sed & recta ratio distat, consistere possit, ipsi videant. Deinde, si animæ substantia cum semine, ex quo fit homo, decidatur aut dividatur, cur non abscisso capite aut alio membro, dividitur & deciditur? An a solo Patre vel matre sola hæc prolis anima decidatur ac dividatur? si ab unius tantum parentis anima a cuius? Patris an Matris? si ab hujus vel illius tantum anima, cur non ab alterius quoque, cum utriusque anima æque sit divisibilis? Si ab utriusq; parentis Parentis anima per sui divisionem anima lobolis propagetur, unde patetur texus ratio? Fortasse, quia ab alterius parentis anima plus fuerit decisum ac divisum. Quam absonta hæc sint & inepta, nemo non videt.

§. III.

Si dicant, *animas propagari & traduci per sui multiplicationes*, dum anima parentum aut parentis gignit aliam sui similem in prole, quæ est traducentium probabilior opinio, nobis explicit, cur anima rationalis magis possit sic quam angelus multiplicari? sunt enim anima rationalis & angelus ejusdem generis & naturæ quoad substantiam: per se nempe substantia subsistens, immaterialis, spiritualis. At angelus nec generetur, nec sui similem generet per multiplicationem essentiæ, ergo nec de anima rationali id dicendum est. Porro: Actio ista multiplicationis, qua anima animam generat, vel naturalis vel voluntaria est: si naturalis, qui fit, ut anima seipsum nec volens, nec sciens multiplicat? si voluntaria, sterilitatis causa ergo erit in voluntate sita, quia anima non se ipsum vult transfundere & multiplicare.

Ex

Et quomodo in adulteris, fœtificatio sœpe sequitur, cum eam maxime nolint? Præterea semper fieret conceptio, cum anima Parentis vellet; at hoc non fit. Denique si anima parentis, sive unius, sive utriusque producat animam liberorum multiplicando aut in semine hoc faciat, aut extra semen: si in semine, jam semen erit animatum anima rationali, quod si non est absurdum, cur non & sanguinis sic dicatur animatus? Deinde si in semine se multiplicet anima, vel semen aliquid confert ad istam animæ multiplicationem, vel nihil: si aliquid, jam anima rationalis in ista sui multiplicatione, tum activa, tum passiva, in suo fieri, aliquo modo dependebita semine, at hoc est absurdum, quia sic non foret immaterialis; nam quod in sui productione dependet a materia; sic ut, illa aliquid conferat, est materiale, & nulla causa est, cur anima, quæ non dependet in operando, in intellectione & volitione, a commer- cio materiæ, dependeat in fiendo? si nihil contert semen ad istam animæ multiplicationem, frustra in semine fieri dicitur.

§. IV.

Nos per creationem esse & oriri animas humanas censemus, & creationem a DEO, non ab Angelis factam, ut somniarunt nonnulli: nam creandi virtus nulli præter DEum convenit, est enim infinita. Creare est agere in nihil; ipsum autem nihil cum sit infinitum, continens totum non esse, nulla res potest habere vim & efficaciam in illud, nisi ea sit infinita, in se excellenter totum esse continens: creantur ergo animæ a solo DEO, non tamen ex ejus substantia vel essentia, ut quoque non-

nonnulli somniarunt: quia DEi essentia aut substantia nullius rei forma esse potest; sic enim alicujus creaturae essentiam ut pars ingrederetur: & anima rationalis hominis est forma, ergo. *Non sunt vero animæ simul & semel, creatæ, nec una post aliam ex animabus creatis, nunc hæc, nunc illa corpori inditur, sed formato corpore demum & infunduntur & creantur; quo illud fiat tempore, non disquirimus.* Id nobis sufficit animas a DEO creari, quocunq; id fiat tempore.

§. V.

Creationem animarum, si non necessario, saltem probabiliter, Adami & Evæ animarum rationalium creatio confirmat; in his enim DEus quid in aliorum hominum productione perpetuo facturus esset specimen edidit. Quod excipiunt nonnulli, in primis parentibus creationem fuisse necessariam, quia nihil existebat, per quod fieri naturaliter propagatio poterat: observandum vero 1:mo est, Adami animam materiæ ante præparatae extrinsecus infundi, cæteras autem animalium animas in & cum materia concreatas fuisse, cuius ordinis alia idonea ratio non est, quam ut DEus in hominibus aliam corporis, aliam animæ esse originem ostenderet, at in brutis eundem esse utriuscq; ortum. 2:do, universi pulchritudinem & symmetriam postulare, ut cum inferiores creaturae primæva & ordinaria virtute se multiplacent; omnium creaturarum Dominus non sine speciali operatione & auxilio supremi Domini generaretur: Itaq; probalis saltem est probatio a creatione animarum Adæ & Evæ ad creationem aliarum animarum.

§. VI.

§. VI.

Operæ pretium nobis videatur , tritissimum & a Traduciariis fere pro insolubile habitum a peccato originali desumptum , argumentum paucis solvere . Hoc igitur esto decantatissimum pro traduce argumentum . Si anima rationalis non propagetur a parentibus in liberos per traducem , ergo nec peccatum originale propagari aut traduci poterit : quia non potest accidens traduci aut propagari sine subiecto . Ad palmarium hoc Traduciariorum argumentum variis modis responderi solet a philosophis pariter ac Theologis . Nos ne aliorum sententiis operose exponendis & tempus chartamque perdamus , sic nodum hunc solvimus . Negamus consequentiam & improbatio-
nem fallam adstrui hypothesin , quod peccatum originale sit accidens , dicimus : atq[ue] ut totum negotium clarissime percipiatur , duas hasce quæstiones accurate s[ecundu]m interesse distingvendos censemus . 1:o Quænam concur-
runt ad peccati originalis propagationem ? 2:do Quænam sit causa proxima efficiens vel deficiens potius , per quam existat aut inbareat peccatum originale , Petro aut Paulo immediate , ut eius singulare peccatum ? Quemadmodum longe etiam differunt , quænam concurrant ad generationem ? & , quænam sit causa proxima geniti ? Primam quod spe-
ctat quæstionem , concurrunt ad peccati originalis propagationem , 1.) Adamus . 2.) Singuli homines qui nascuntur . 3.) Parentes . 4.) DEus . Adamus concurrit , ut caput & radix generis humani , quod ipse re-
præsentavit , dum peccaret . Homo unusquisque , qui
nasci-

nascitur, concurrit ad propagationem peccati originalis, tum ut subjectum ejus, tum ut caussa directe causans deficiens, propria, proxima, emanativa hujus venenat^e qualitatis. Parentes concurrunt per generationem, quæ est tantum caussa sine qua non esset peccatum originale in hominibus. Deus concurrit ad peccatum originale in hominibus. Deus concurrit ad peccatum originalis propagationem, & ut creator, & ut justus iudex, justa & efficaci providentia; primum efficienter procurando propagationem hominum, producendo corpus, creando animam: sine quo utroque nulla esset peccati originalis propagatio: deinde permittendo, ut omne peccatum, sic & originale, quod sit denique non iuppedi- tando donum imaginis suæ, quæ non est actio realis & positiva, sed celsatio potius ac deficientia ab actu in DEO ac iusta hominis pœna: intelligimus hic defi- cientiam non moralem, qua Deus defiat ab eo quod debuit, sed naturalem, ut loqvuntur, qua quis defi- cit ab eo, quod potuit, sed non, quod debuit. Atque hæc omnia; quæ a DEO procedunt, sunt tantum antecedentia, respectu peccati originalis, quod propa- gatur, & non caussæ, adeoque inferunt necessitatem consequentiæ tantum. Ad secundam quæstionem nunc respondere lubet. Deus nullo modo est caussa, nec principalis, nec instrumentalis, nec meritoria, nec remota, nec proxima, cur peccatum originale sit in Petro vel Paulo, quamvis sit caussa justæ subtractionis imaginis suæ & sit caussa suæ permissionis, itemque pro-

productionis animæ ac corporis, ad quæ omnia peccatum originale sequitur tanquam conseqvens ad antecedens. Sed nec parentes, qui generant, nec ipsa generatio, sunt causa per se, seu principalis, seu instrumentalis, sed merum sunt antecedens, sine quo non existeret peccatum originale in Petro, aut Paulo: per parentes & generationem enim producitur subjectum quidem peccati originalis, Petrus aut Paulus, non vero ipsum peccatum originale: simul ac tamen Petrus est productus, aut Paulus, jam statim quoque hoc peccatum originale est, absque quo, ne momento quidem, illi sunt. Itaque proxima causa, non quidem efficiens propriæ sed deficiens, per quam inexistat, aut inhæreat Petrus vel Paulo peccatum originale, est unusquisque homo sui peccati originalis & principium & subjectum simul, & auctor & possessor est. Ad probationem, quod dicitur accidens non posse traduci aut propagari sine subjecto, respondemus, peccatum originale non est accidens, neque tamen substantiam, sed privativam: ideoque non est quærenda positiva, & realis causa, quæ reali actione hoc peccatum producat; nam actionis positivæ & realis terminum oportet esse realem & positivum; sed illa, sive propagatio, sive traductio, peccati originalis a parentibus in liberos, privativa potius est ac moralis, quam positiva aut physica: & concipi debet eo modo, quo traducitur ac propagatur in prolem privatio privile-

giorum , paupertas , infamia , propter crimen
progenitoris. Atque ex his satis liquet inepte hanc
quæstionem vulgo proponi : aut per animam
propagatur peccatum originale , aut
per corpus ?

SOLI DEO GLORIA:

